DE VBERRIMO SECTARVM PROVENTV PSEVDO-PIETISTICA ET CHILIASTICA LVE

ORATIO

QVA

ACADEMIÆ JVLIÆ

NATALEM

DECIMVM SVPRA CENTESIMVM NONVM

ANNO M DC XCV

IN

SOLENNI VNIVERSITATIS FESTIVITATE

CELEBRAVIT

FRIDERICUS VLRICUS CALIXTUS D.

Acad. Sen. & Profeſſor Prim.

Conſiliariarus Eccleſ. Guelph.

Abbas

Regiæ Lutteræ.

HELMSTADI,

Typis GEORG-WOLFGANGI HAMMII, Acad. Typogr.

*SERENISSIMIS PRINCI-
PIBVS AC DOMINIS*

DOMINO

RVDOLPHO AV-
GVSTO,

ET DOMINO

ANTHONIO VL-
RICO,

FRATRIBVS GERMANIS
BRVNSVICENSIVM ET LV-
NEBVRGENSIVM DVCIBVS
WVLFERBVTANVM DVCATVM
PARI EMINENTE POTENTIA
REGENTIBVS

*PRINCIPIBVS ET DOMINIS SVIS
CLEMENTISSIMIS*

ORA-

ORATIONEM
ACADEMIÆ JVLIÆ
NATALEM
Decimum ſupra Centeſimum Nonum
ſolenni ritu celebrantem
ex obligatione
DIRECTORIO MAGNIFICEN-TISSIMO
Debitâ
Religioſè CONSECRAT, atq; ut ſub
SERENISSIMORVM PRINCIPVM
Felici
REGIMINE ET DIRECTORIO
Feſtivitas iſta Academiæ
celebretur multoties,
Devotâ mente precatur
HARVM
SERENISSIMARVM CELSITVDINVM

Subjectiſſimus & fideliſſimus
miniſter & cliens

FRIDERICVS VLRICVS CALIXTVS.

ACADEMIÆ JULIÆ
PRO-RECTOR
CHRISTOPHORUS TOBIAS
WIDEBURGIUS
S. Theol. D^dus

CIVIBUS ACADEMICIS

S. D.

DEcimum nonum craſtino die celebrabimus ſupra centeſimum Academiæ Juliæ natalem, grata mente recolentes memoriam auſpicatiſſimæ lucis, qua Sereniſſimus Princeps ac Dominus, Dn. JULIUS, Dux Brunſvicenſis ac Luneburgenſis, poſt plurima in Eccleſiam & Rempublicam collata beneficia, Academiam Sereni-

tis ſuæ cognominem, in hoc oppido fundatam, ſolenni ritu & ſplendidiſſimo apparatu introduxit. Plurima ſunt & illuſtria, quæ in Divo JVLIO orbis veneratur, infucatæ pietatis, heroicæ virtutis & incomparabilis prudentiæ documenta: ſed aliqua intra provinciarum Brunſvico-Luneburgicarum limites continebantur; ex hoc autem non minores ad univerſam Chriſti eccleſiam, & exteras quoque gentes, fructus redundarunt. Quod autem per tot publicarum calamitatum tempeſtates hæc divinarum humanarumq; ſcientiarum, nec nôn intemeratæ pietatis, ac virtutum omnium feliciſſima palæſtra & Spiritus S. officina, per integrum & quod excurrit ſeculum, doctrina & civium numero florentiſſima perſeveraverit, hoc totum quantumcunq; eſt, quod certe maximum eſt, divinæ bonitati; & poſt hanc Sereniſſimæ ac Potentiſſimæ Domui Brunſvico Luneburgicæ debemus, cujus provida cura & larga benignitate Academia Julia clementiſſime fovetur, & validiſſime ſuſtentatur. Æquum itaque eſt, ut Sereniſſimi Fundatoris memoriam, Potentiſſimorumque Nutritorum noſtrorum incredibilem Clementiam, nullo non tempore, maximè autem craſtino die, qui Academiæ noſtræ natalis eſt, devota mente celebremus. Hinc, quod pia religio exigit, quod glorioſæ memoriæ Fundator quotannis fieri voluit, craſtino die ante meridiem in æde ſacra pro præſtita Academiæ conſervatione ſupremo rerum Moderatori εὐχαριστήρια perſolvemus; pro felicibus ejusdem incrementis ſimul ſupplicaturi. Pomeridianis

nis

nis autem horis Sereniſſimis ac Potentiſſimis Nutritoribus noſtris pro incredibili erga regiam hanc ſcholam ſtudio in Juleo majore gratias agemus, & Sereniſſima Domus Brunſvico-Luneburgica ſalutem Deo commendabimus. Suſcepit hoc munus Venerabilis Academia noſtra Senior, DN. FRIDERICUS ULRICUS CALIXTUS S. Theol. Doctor celeberrimus & Profeſſor Primarius, Sereniſſimorum ac Potentiſſimorum Ducum Brunſvico-Luneburgicorum Conſiliarius Eccleſiaſticus & Abbas Regio-Lotharienſis, diſerta oratione dicturus de uberrimo ſectarum, imprimis Pſeudo-Pietiſticæ & Chiliaſticæ, proventu, naſcentibus aliis ex aliis, ſicut prolifera è flore nova prioris imago excreſcit, & ex hac iterum alia, ejusdem & coloris & odoris, emergit. *Vos, itaq; Studioſi Cives, invitamus, ut craſtini hora poſt meridiem tertia, in Juleo majore Venerabilem de Academia & univerſa Chriſti Eccleſia meritiſſimum Seniorem noſtrum, de argumento his potiſſimum Eccleſiæ temporibus maxime accommodato, diſſerentem ea attentione, qua cœleſtem doctrinam & infucatæ pietatis ſtudium adverſus veritatis hoſtes & hypocritas ſolide defendentem audire conſueviſtis, auſcultare, & ſimul pro ſalute Sereniſſimæ Domus Brunſvico Luneburgicæ, & pro Academiæ conſervatione vota nobiscum facere velitis. P. P. in Academia Julia d. XIV. Octobr. Anno clↃ lↃc XCV.* –

Magnifi-

Magnifice Domine

PRO-RECTOR,

Spectabiles Dnn. Decani,

Admodum Reverendi, Nobilisſimi, Conſultisſimi, Experientisſimi & Excellentisſimi Viri, Reverendi & Clarisſimi Domini Paſtores, atque reliqui Nobilisſimi & Amplisſimi Hoſpites, Domini Collegæ, Fautores & Amici honoratisſimi. Vosq; & Genere & virtute & eruditione, ad quæ certatim aſſurgitis ſinguli, Nobilisſimi Viri Juvenis Cives Academici, Amici multis mihi dilecti nominibus.

PUrpuream Euro ſufflante auroram, illuxit iterum almæ JULIÆ noſtræ decimus ſupra centeſimum nonus NATALIS. Rediit annua ſolennitas, in ipſâ Jubilæi feſtivitate, ante proximè elapſos novendecim annos, ritu celebrata ſplen-

ſplendidiori. Quod ſi verò ſicut vinis ita etiam Univerſitatibus antiquitas adderet precium, haud vili augeretur noſtra, in illarum præſertim ordine, quæ poſt neceſſariæ Reformationis initia adſpexerunt lucem. Verùm ſi Academiarum tempus ætatis, cum mortalium ætate in comparationem eſſet vocandum, ſicut parum refert, quàm diu, multùm quàm benè homo vixerit, ita quoq; quàm diu Academia ſubſtiterit parum, quàm benè & ſolidè Academicas obierit functiones, quàm morum diſciplinam direxerit præclarè, quàm Divinæ humanæq; ſapientiæ ſtudia excoluerit gnaviter, multum referre dixerim. De JULIÆ igitur, charæ noſtræ nutricis canitie, minus ſolliciti, iſto potiùs ei gratulamur nomine, quod toto illo quo floruit tempore, præclarè res ſuas univerſas geſſit, & cum cunctorum applauſu bonorum, eſt executa. Si aſtrologiæ divinatrici, citra ſuperſtitionem aliquid tribuendum efficaciæ, haud perindè fuerit, quo quisq; natus ſit ſub ſidere, ſerenane an nubilâ tempeſtate adſpexerit lucem. Reformationem anticipantes Academiæ antiquitatis quidem gaudent prærogativâ, & orbis eruditi obtinuere principatum: aſt in denſis Papatus natæ & palpitantes tenebris, ſic regnarunt, ſicut luſcus regnat inter cœcos. JULIA verò noſtra, dubiam matutini crepuſculi lucem fugiens, culminante jam Divinæ veritatis ſole, non procul à ſalutaris Reformationis

initiis, felici ſub JULIO ſidere nata, ſparſit radios, Patriæ Eccleſiam purâ & coruſcâ Evangelii luce illuminates. Nempè Divus JULIUS, ſi non primus, inter primos tamen fuit, ſub cujus felicibus auſpiciis, affulgente Divini Numinis gratiâ, fundata eſt Academia, quæ Potentiſſimo Cæſari CAROLO V, Auguſtæ Vindelicorum oblatam purioris doctrinæ Confeſſionem, amplexa eſt, propugnavit & in hunc usque diem ſtrenuè propugnat. Tantopere autem Sereniſſimus Princeps à ſeſe fundatam Academiam adamavit, ut hanc Divinæ humanæq; ſapientiæ arcem, de excelſo Celſitudinis Suæ, nominari voluerit nomine. Stet JULIA pede firmo, ſit celebritas ejus perennis, & in ſeram usq; propagetur poſteritatem, in *natos natorum & qui naſcentur ab illis!*

Fuerunt qui ferocem usq; adeò defricuere frontem, ut terribili & ignominioſâ *Julianorum* nomenclaturâ, non obſcurè in *Julianum Apoſtatam* intento digito, cum atroci injuriâ in ſacratiſſimum Divi Julii nomen, nos flagellare non erubuerunt. Sed fuerunt illi & migrarunt ad plures, quorum deſperata malitia, pedibus potius conculcari, quàm calamo aut voce vindicari meretur. Pro quibus tamen apud DEUM, ne grande peccatum imputet ad mortem, intercedere, quàm illis imprecari malumus. Diram paſſos calumniam, conſcientia recti valdè

lidè ſolatur & erigit. Novimus enim, novit orbis univerſus, quod Catholicam & Apoſtolicam Fidem, procul ab omni apoſtaſias labe, JULIA noſtra ultra ſeculum coluit, & in ſeculi usq; finem colere non eſt deſitura. Coluit & colit præter humaniores, quas vocant, literas, ſtudium antiquæ, germanæ, ſolidæ, &; ut verbo dicam, Ariſtotelicæ Philoſophiæ, exploſis novitatibus & corruptelis, quas paulo ante quàm ipſa oriretur, magno bonæ eruditionis damno, homo Veromanduus invexerat. Coluit & colit ſtudium primævæ Antiquitatis Eccleſiaſticæ, tenax ſinceritatis & ſimplicitatis doctrinæ, quam de ſummis ſanctæ Religionis myſteriis propoſuerunt, Symbolisq; & Confeſſionibus ſuis declarunt, œcumenica prima Concilia, Nicænum, Conſtantinopolitanum, Epheſinum & Chalcedonenſe; nec novitates, quas allinere nonnulli conati ſunt, unquam admiſit: & veritatem è Scripturà demonſtratam, hoc etiam ipſo teſtimonio rectè confirmari cenſuit. Coluit & colit ſtudium Concordiæ Eccleſiaſticæ, & deſiderat mitigari odia & diſſidia, quæ inter eos, qui de præcipuis Chriſtianæ fidei fundamentis & articulis conſentiunt, invaluerunt, & non modo Eccleſiam, ſed Rempublicam quoque peſſundant; quâ fini ſuadet diſtingui neceſſaria à non neceſſariis, nemini quidquam affingi, & animos diſſentientium in iis, in quibus eſt magnum momentum, non conviciis exaſperari,

ſed juxta normam caritatis, quam ſibi mutuo Chriſtiani debent, comiter tractari, & ad agnoſcendam veritatem validis & efficacibus argumentis traduci. Coluit & colit ſtudium pietatis, ſanctimoniæ & obſervationis mandatorum Dei, tanquam ad reapſe habendam beatitudinem neceſſarium: credit enim purè & ſimpliciter verum eſſe, quod de idololatriâ, veneficis, adulterio, ſcortatione, laſciviâ, cædibus, ebrietatibus, commeſſationibus & ſimilibus flagitiis διαῤῥήδην dicit Apoſtolus, *eos qui talia agunt regni Dei non fore heredes*: nosque *ſi ſecundum carnem vixerimus, morituros; ſed ſi ſpiritu actiones corporis mortificaverimus, vitâ potituros.* Juventutem itaque ſcholaſticam, in cujus mores è continuis & diuturnis hiſce bellis, aliquid labis derivatum eſſe non eſt mirum, quantâ poſſumus contentione & ſeveritate monemus & urgemus, ut ſe pietatis, caſtimoniæ & continentiæ ſtudio muniant, ne flagitia & libidines, non modo proſperitatem, quam hiſce in terris ſperare poſſint, elidant, ſed omnem propitii Numinis favorem & ipſam æternam ſalutem eripiant. Illuſtre illud, quod Academiæ JULIÆ, B. Parens meus, ante plures quàm quinquaginta annos, non obiter ſed deliberato & prudente conſilio, nudæ veritati velificatus tribuit, tàm arctè menti meæ inhæret, ut nulla unquam delitura ſit oblivio: toties quoties malevolorum reprimendi ſunt inſultus, repeti dignum.

Cæ·

Cæterùm memorabile eſt, & notari meretur, quod Natales Academiæ noſtræ proximè antegreſſis temporibus, tortæ vertigines, præcipitante hoc ſeculo, iterum extremo torquentur conatu; cùm per illos, qui redituri Chriſti millenarii Regni obſcurâ ſpe atque meliorum temporum cœcâ expectatione lactantur; tùm per tales, qui penitus intus & extus illuminati Revelationes captant, atque in tot diſſiliunt Sectas, quot alii aliis ſibi videntur perfectiores. Ecquid verò illi ad hæc noſtra Sacra? Quale muſcerdæ cum pipere Indico conſortium? Procul hinc procul ſunto profani, cum Pſeudo-Pietiſtis Chiliaſtæ, atq; Quakerorum tribules univerſi. Poſtulat enim Feſti quem celebramus diei ſplendor, omne deliciarum, pectus exſacians animumque exhilerans genus. Hanc agens Panægyrin, non aculeatos nucis caſtaniæ cortices ſed lilia, flores, laurum, dulceq; fragrans cum hyacinto narciſſum ſpargat. Aſt flores quid poſco, defloruerunt nunc ſta hortorum ornamenta, atque gelidâ irruentis Autumni contabuere aurâ. Quocunque autem me verto, infelix undique lolium, triſte & amarum ſe ingerit abſyntheum. Etenim Eccleſiæ hoſpitii faciem ſi intueor, ubique furit indomitus Mars. Furiunt Orientali in plagâ Saraceni, in Ocidua Rex furit Chriſtianiſſimus (ô utinam Chriſtianus) Chriſti ſanguine redemtorum ſitiens ſanguinem. Eccleſiam i-

pſam intuitus, in eam conglomeratâ manu irrumpentes conſpicio ipſos illos turbones, quos procul à noſtris arcendos ſacris, paulò prius, ſolenni interpoſitâ proteſtatione, ſum profeſſus. Exautoratos igitur peregrinos infacetos hoſpites, miſſos facere debebam. Sed quia illi infeſti & infenſi nobis inſiſtunt & undequaque urgent, rumpendum fuit taciturni ſilentii propoſitum, ne nudo horum facto indicio, de reliquo dimiſſi, atque absque meritis dignâ elapſi cenſurâ, plaudant mediumque nobis porrigant digitum. Hi ſcilicet lupi rapaces, pelle tecti ovinâ, ipſi illi ſunt, qui ſimul ac cuſtodibus remotis vel aſtu circumventis, leniter laxatis valvarum repagulis, clanculum in Proteſtantium ſe inſinuant Eccleſiam; vel cuſtodibus vigilantibus & obſiſtentibus, horum ingratiis ſe ingerunt, Mendicantium more Monachorum, qui oſtiatim ſtipem colligunt, circummeunt, atque *Formam pietatis habentes, in familias*, ſeu ædes, *ſubeunt, & captivas ducunt mulierculas, oneratas peccatis, quæ ducuntur concupiſcentiis variis.* (II Tim.III,5 & 6.) O Sectam antiquam, ipſo Gentium Apoſtolo antiquiorem! O uberem malorum frugum Sectam! quippè quæ usq; adeò eſt vivida, ut in putreſcentes quamvis ſoluta pulveres, in eadem in quâ ſuffocata & emortua eſt matrice, reviviſcat;

Quin

Quin & ex caudicibus ſectis, mirabilè dictu
Truditur è ſicco radix oleagina ligno.

Luxuriantes igitur fucato colore Sectarum ramos, ſic ſuccreſcere, ſicut proliferâ è flore, flos nova prioris imago, excreſcit, & ex hac iterum alia, ejusdem & coloris & odoris emergit, in Veſtrum Auditores, omnium Ordinum ſpectatiſſimi & honoratiſſimi conſpectum, arido quamvis, plano tamen & perſpicuo orationis genere, ſum deducturus, ubi prius à Veſtrâ impetravero æquitate, ut de doloſâ gente aliqua ſine dolo verba facturum, tali attentione dignari velitis, qualem præſtare conſvetis omnibus, quibus non tàm ex merito, quàm ſingulari applauditis favore & benevolentia.

Non eſt magis fertile ſolum, non magis frugifera tellus, quàm quæ Sectas enititur, nutrit & alit. Sunt enim hæ proliferæ, & traducuntur aliæ ex aliis. Florilegi Bothanici proliferis ſtudent & delectantur floribus, quarum aliæ naſcuntur & proſiliunt ex aliis. Ejusmodi florum generi, non malè aſſimilaſſe mihi videor Sectas. Sicut enim è flore flos traducitur, ita Sectæ traducuntur è Sectis. Aſſerti veritas, adductis exemplis, quorum alia ſatis antiqua, alia recentia ſunt

& ob-

& ob oculos verſantur , futura eſt conſpicua & manifeſta.

In populo Judaico plus ſatis fuit Sectarum , ſicut nec ulla illarum inter Chriſtianos eſt penuria. Sunt illæ undequaque proliferæ , atque emergunt aliæ ex aliis, ſicut flos è flore fœcundo, fovente ſolis radio, excreſcit.

Gens Iſraelis ſuos olim celebrabat *Karaim*. Ex his *Sadducæi* effloruere ; & viciſſim è Sadducæis *Hasſidim*. Hoc hominum genus , in duas diverſas erupit factiones ſeu Sectas , in *Phariſeos* videlicet & *Eſſenos*.

Karaim illorum ornabant Sectam , quæ in Legis, Prophetarum & Hagiographorum obſervatione acquieſceret, uſque ad tempora *Sadek* & *Boëthi* ſive *Baithi*. A Sadek prodiere *Sadducæi* , ob hæreſin inter Judæos famoſi. *Karaim* tamen Sadducæis tempore ſunt, priores , ſiquidem de illis horum traducta eſt Secta. Karaim vocabuntur, quaſi Legales , quod Legis obſervantiſſimi ex præſcripto & mandato Legis viverent. Quum autem haud facilè quisquam in benè faciendo ſic exorbitet , ut ultra debitum præſtet aliqua , quæ nulla

nulla lex exigit, fuerunt tamen qui opera ſupererogationis ultrò & ſuâ ſponte ſuſciperent. Tales erant *Haſſidim*, qui ne quidem reprehendi, nedum in vitium objurgatione dignum, verti poſſe credebant, ſi ille qui tantùm benefacere teneatur, ultra mediocritatem in benè operando profecerit.

Non ſubſtiterunt in libero agendi arbitrio modo dicti Haſſidim, ſed ulterius, ſicut ſtratâ ſemel viâ fieri conſuevit, ſunt progreſſi, qui abundanter ultra quàm eſſent obligati, benè operandi libertate in ſervitutem redactâ, ſupererogationis operibus neceſſitatem impoſuerunt. Atque hoc quoque genus Perfectorum, de perfectionis gradu invicem contendebat, ſicut hodie contendunt illi, quibus nemo ſatis eſt pius & religioſus, qui non prius omni ſolidiori renunciaverit eruditioni, univerſamque Theologiæ profligaverit peritiam. Contendiſſe ajo illos de Perfectione, quia Eſſenorum ἀκριβεστέρα erat πολιτεία quàm Phariſæorum: & utraq; Secta ſuorum Doctorum ſcripta ſic jactabat, ſicut hodie picem olentia Böhmiana, Barclajana, Anthonettæ de Burignon, Michaelis de Molinos, aliorumque Illuminatorum & Theoſophorum æternis tenebris digna Scripta, jactantur, oſtentantur & commendantur.

Idem igitur quod in Synagogâ obtigit, obtingere etiam in Eccleſia, experientia docet, docent Sectæ aliæ

C ex

ex aliis traductæ, ſicut proliferis è floribus, aliæ ſuccreſcunt ex aliis. Floriferis in Quakerorum hortis, altas egit radices flos iſte, è quo certatim ebulliére complures alii, Böhmianum odorem ſpirantes flores. Initia, iſtius haut ſterilis, ſed magis quàm è re eſt Eccleſiæ, fæcundæ horticulturæ, fuerunt tenuia, quæ ſicut cordatis & prudentibus ludibrium dederunt, ita ſuperſtitioſam novitatisque ſtudioſam plebeculam, quæ auribus ducitur & quicquid imponitur oneris portat, ſicut aſinus Iſidis ſacrum, in delirantium attraxit Societatem. Poſteaquam verò inſanorum capitum Secta, in profundum egit lateque ſparſit radices, ampliora tunc demum indepta eſt incrementa, quando vaniloqua inani verborum ſonitu aures complentia Scripta, intempeſtivâ Typographorum ſolertiâ, per maria per terras portata, Angliam inferunt, Belgiumque corruperunt ſaltem non integrum. O infelicem, è promiſcuè libero qualiumcunque Religionum exercitio natum fructum. Ex iſtâ verò hircum olente flore, excreverunt plures alii gravè olentes floſculi. Tales haud ita pridem dederunt in Pontificiâ Eccleſiâ ſuccreſcentes *Quietiſtæ*, in Proteſtantium *Pſeudo-Pietiſtæ*. Et ſicut apud Judæos ex Haſſidim traducti ſunt Phariſæi, ita è Quietiſtis effloruere illi qui Pietiſtarum mentiuntur nomen. Sic enim ſunt his illisque communia quædam dogmata, ut cognatio manu ſit

palpa-

palpabilis. Agnoſcunt hoc & teſtantur Pſeudo Pietiſtarum alumni & promachi, qui dulcia Molinos ſomnia, non ſine ſtolidæ ſapientiæ admiratione in linguam tranſtulerunt Latinam. Non autem eſt quod glorientur Pontificii à ſeſe amolitum Sectæ probrum, in noſtrum devolutum eſſe caput, nobisve iſta, in illorum ſinu nata, exprobent hominum monſtra. Quantò apud Romanos in majori precio habitus eſt Molinos, quantò ſolennius etiam ab ipſis Hæreticæ pravitatis Inquiſitoribus approbata eſt *Molinos Manuductio Spiritualis*; quantò digniores perſonas, ipſos Ordinum Generales, Epiſcopali, ArchiEpiſcopali & Cardinalitiâ dignitate eminentes, in Sectæ traxit conſortium, in tantò majus Eccleſiæ Romanæ cedit probrum, quod viri ejus Palatini, per Molinos inſidias ſic ſunt circumventi Circumventos, ajo, ſiquidem fieri potuit, ut adhuc latenter ſerpente Sectâ, minus attentè cenſuerint Cenſores illi, quos tunc, quando mala plurima minitantia Molinos molimina eruperunt in nervum, deproperatæ & proletariæ cenſuræ eſt puditum. Quid verò de ipſius Pontificis Maximi in calamitoſum Molinos apertè propensâ dicendum benignitate? Sunt qui parum abfuiſſe affirmant, quin non quidem Innocentius XI, ſed Benedictus Odoſchalchi in Inquiſitionis tractus fuerit Judicium. Ex adverſo, dicant, ecquis noſtratium, in offenſionis,

manu Molinos jactum lapidem, & per omnem volutum Italiamque Hiſpaniamq; per Galliam devolutum in Germaniam, impegerit alius, quàm ſolidioris doctrinæ expers, peritiæ Theologicæ oſor & obtrectator infacetus? Mediocriter ſalrem & eruditi & prudentes, nec capti ſunt, nec ſanæ mentis judicium ſic eos eſt deſertum, ut capiantur unquam.

Grandè interim pſeudonomi Pietiſmi cauſæ creat præjudicium, quod arcanorum dicam an profanorum myſteriorum promachus Michael de Molinos, cum tanto apparatu rituque tàm ſolenni Hæreſeos eſt damnatus. Hæreſeos, inquam, damnatum: jurene an injuriâ, nunc equidem non diſputo. Nos non ſic ſumus aſperi vel truculenti, ut quemcunque errorem, horribili anathematis fulmine concutiamus. Relinquimus hoc Hæreticis, qui illaudabilia, heri aut nudius tertius canoniſata Dogmata averſantes, aut horum placita non probantes, protinus Hæreſeos, ſine miſericordia damnant. Erraverit Molinos, erraverint hujus ſputa lingentes, hæreticè tamen erraſſe, affirmare non auſim. Satis nihilominus ſpiſſo quamvis errore ducantur à Quietiſtis traducti errones, quia tamen in ſinu illorum, qui Eccleſiam inquietant univerſam, nulla poteſt requieſcere quies, Quieſtitarum quidem àbdicarunt nomen, nec tamen cum nomine, Quietismum ſapientia

Dogma-

Dogmata abdicarunt. Non *ſecretas ſemitas ad acquirendas omnes virtutes, & ad conſequendum altum contemplationis, annihilationis & pacis interioris montem* ducentes. Non *Divinæ inſpirationis violentiam.* Non *vitam interiorem pacis & vigoris.* Non extraordinariam & peculiaris modi *Dei, ad contemplationem, ad vitam ſpiritualem internam & myſticam* vocantis *vocationem*: Non *Perfectionem, nullâ vi propriæ induſtriæ acquirendam*: Non *Divini Spiritus*, qui *non per aures*, ſicut Dei Verbum fidem ex auditu operans, *in animum intret, nec per continuam laborum lectionem*, ſicut peritia fidei acquiratur, *ſed per liberalem ejus infuſionem, cujus gratia cum ſimplicibus & parvis, delicioſiſſimâ & intimâ familiaritate communicetur.* Non plura iſtis nihilo meliora, nihilo ſaniora, quibus delicatas Veſtras Auditores graviſſimi, aures obtundere, eſt mihi religio.

Aſt cujus eſt furfuris *Perfectio* iſta, quæ *nulla ſit propriæ induſtriæ vi acquirenda?* Paucis dicam quod res eſt: Pulvinar eſt Diaboli, in quo pigri ventres quieſcant, in utramque dormiant aurem, in medium usque ſtertant diem, & tamen fiant *Perfecti.* Laqueus eſt, in quem inducta deſidiæ & luxuriæ plena juventus, turpi langueſcat & hebeſcat in ocio. Cuneus eſt, quo adacto, gemat omne ſudore & labore acquirendum

 peritiæ

peritiæ fidei robur. Cuneus eſt, quo adacto, diſſiliat diſſipeturque omnis bona, peritiam iſtam juvans eruditio. Hinc ſtudiorum, qualia in Univerſitatibus tractantur & excoluntur, vilipendium. Hinc maledica & ſcabra Academiarum traductio, nulli loco magis conveniens, magisve quàm ſuggeſtui Eccleſiaſtico accommodata. In hunc ſcilicet admiſſos Teutonicos declamatores faſcinans perfectio, ſic inflat, ut deputatorum Judicum inſtar, Academias erectis criſſis, neſcio cujus non ſacrilegii damnent. Et qui ſciam ego, quod illi ipſi corrupti judicii Judices ignorant? O judices, impios qui juſtificant Pietiſtas, atq; juſtam illis obſiſtentium cauſam pervertunt, ut irâ ardentis ſtomachi indigeſtam cruditatem ſic egerant, ſicut anus ebria, ſolutis labiorum vinculis dentiumque ſepimentis, effutit cuncta quæ veniunt in buccam.

Exempla nec ſunt rara, nec è longinquo accerſenda. Etenim citato pede progreſſus, vix quartum à limine noſtro lapidem tetigeris, ſimul ac ſacram aliquam attigeris ædem, in cujus ſuggeſtu (de contradictione, usque quo locum iſtum tenent, ſecuri) maledictis in Academias ſic debachantur, ut conſveverunt illi, quibus obloqui, & dicere *Papa quid facis?* fas non eſt. Studia in illis culta & exculta, naſo ſuſpendent adunco, utpote Pietiſticæ non æquiparanda Perfectioni, quippè quæ ſo-

lidior

lidior eſt, quàm ut Academiarum indigeat ope. Quibus autem furiis acti, Nutrici ſuæ, cui, ni ingrati haberi velint, benè precari debebant, ſic imprecantur? Fortè quia ſomnolenta nutrix, vel non fideliter lactavit, vel quia agnus lactens, impigrè non hauſit. Equidem non prius, ſed poſterius credo eſſe verum: Si enim lactandus iſte agnus tàm alacriter hauſiſſet, quam illa lactavit fideliter, certè factus non eſſet Pietiſta. Quisquis in Pietiſtam degenerat, puro Juliæ Nutricis lacte paſtus eſſe non poteſt, quia illud in impuro Pietiſtæ ſtomacho non hæret, ſed hauſtum regurgitat. Quo igitur ſuo merito indigna patiuntur fida, & Eccleſiaſticæ & publicæ rei fulcra, Academiæ? In promtu cauſa eſt: quia prodituri inde ſunt ſolida eruditione muniti, luminibus quæ inter fanaticos ſplendent ſicut *inter ſtellas Luna minores*, obſtructuri.

Tu verò cujas es, è cujus ovilis ſtabulo prorepſiſti, Academiarum tuopte judicio periturus ſorex, qui dedum obtento, diu poſſeſſo dignitatis gradu, eas præcipitare audes? Quo percitus œſtro Sancti Spiritus officinis litem moves, bellumq; his indicis? Numquid deò fortè, quod vertiginoſus pſeudo-Pietiſticus Spiritus, in Divini Spiritus officinis, locum in quo inſanabile inclinet caput, non invenit? Quo tuo commodo dicam an damno, Academiarum *emendatione* & *reformatione*

ſic

ſic fatigaris, ut dum alienæ, ad te neque pertinentes, neq; conſilii tui frigus toleraturæ curæ, te angunt, interea, tui ipſius emendationis immemor & oblitus, magis magisque proficias in pejus. Unde verò indignationis vehementia tantá, ut ſparſas ſuper Academias lachrymas, collachrymante nemine, re ſorbeat? E malo procul dubio, ſed inveterato iſtorum hominum more, qui difficulter tolerant in aliis, quæ non didicerunt & ignorant ipſi. Quâ propter omnes reliquos ſui volunt eſſe ſimiles. Hoc ipſum autem qvum non ſint obtenturi, quàm diu Academiæ ſtabunt pede firmo, his crura confringere tentant. O improbos ſed inanes conatus! Stabit alma JULIA pede firmo & ſolido, ſtabit ſicut murus aheneus, florere non deſitura prius, quàm deſierit ſtare moles hæc orbis univerſi, rumpantur interim pſeudonimi Pietiſtæ ſicut ilia Codro.

Mali autem quod hodie graſſatur, vel expendere pondus, vel remedia huic averruncando idonea, & ſufficientia ſuggerere & miniſtrare, hujus non eſt loci, nec ſolennia quibus hic dictus & conſecratus eſt dies permittunt, Alteri igitur, hoc negotii, ſervans oportunitati, modò oſtendiſſe mihi ſufficiat, quod Sectæ, proliferorum florum imitentur naturam, aliæ naſcantur & excreſcant ex aliis,

Nulla

Nulla in nos quidem cadere poteſt ſuſpicio, quod ſtudio pietatis & ſanctimoniæ ſimus obluctaturi, hilumve detrituri; quippè qui ob ſtudium illud, ceu ad ſalutem reapſe obtinendam neceſſarium, commendatum, diras ſuſtinuimus perſecutiones. Interim tamen diſſimulare non poſſum, quod infenſiſſimus pietatis hoſtis, pelle vulpinâ amictus incedens, id quod deſtruere extremo nititur conatu, in ſpeciem ſubdolè prius extruat, ut incautos mortales ineſcat, & plauſibili captos prætextu in errorum præcipitia ducat. Luculentum exemplum dedit *Erneſtus Sonerus*, initio crypto-Socinianus Altdorffinus, apertus tandem perduellis. Iſte inter alios etiam *Martinum Ruarum*, virum quantò eruditiorem, tantò in tuenda Hæreſi pertinaciorem, in ſuas fraudulenter traxit partes, tandem vicit atque tàm fortiter proſtravit, ut eluctari & aſſurgere non valuerit. Quâ viâ eum ſit aggreſſus quibus ineſcaverit illecebris, & quomodo proceſſerit in fidei ſalvificæ naufragium præcipitans negotium, Ruarus ipſe, Epiſtolarum Centuriâ alterâ Epiſtolâ XXVI, Husvvedelio inſcriptâ memorat. *Is igitur Sonerus*, inquit, *cùm primùm in Philoſophia, cui tunc to-*

D *tus*

tus vacabam, ingenium meum tentaſſet, paulo poſt ad altiora progreſſus, de ſeverâ & maſculâ pietate agere me cum cœpit, eamq; & neceſſariam ſalutis æternæ appetenti, &, quod ex illo ſequitur, inter ἀδύνατα non eſſe, ut cum vulgo hactenus credideram, invictis argumentis mihi probavit: poſtea alia ex aliis ſerens ut quæq; in ſolum venerant, cùm pleraq; ex illis eò blandiri mihi videret, quod aliquantò melius inter humanæ rationis lumen & demiſſos è cœlis Divinæ veritatis radios convenire teſtarentur; quàm perſuaſum eſt vulgo Theologis, quibus nemo ſatis eſt religioſus qui non rationem prius omnem profligaverit; tandem ad illa τὰ ἄῤῥητα περὶ τῆς ἁγίας τριάδος ἐν τῷ Θεῷ, de naturâ item Jeſu Chriſti, ejusq; Satisfactione pro peccatis noſtris præſtitâ, delapſus eſt: & quæ ibi ſequuntur. Ecce verò Satanæ vafriciem, uno plauſibili blandientis dogmate, ut pedetentim ſeducat ad conculcandum illa, quibus fidei Chriſtianæ nituntur Myſteria. Ecquis verò dubitet, illud quod tunc volvit ὁ πονηρὸς ſaxū, volvere atq; revolvere: quod ſub ſpecioſo prætextu, tunc obtinuit, eodem nunc uti tantò impenſius, quantò tunc fraus ceſſit felicius?

Tantum verò pro temporis menſurâ, de renatâ in Italia, atque per Molinos molimina, in vicina remotioraq; Regna, non minori ſucceſſu quàm ſtudio & induſtria

duſtriâ, per maria per Alpes devolutâ & ingeſtâ Sectâ. Videor igitur mihi videre in Excelſo Alpium dorſo ſtantes, qui è jacto ex Italia in Germaniam ardentis maſſæ globo erumpentes flammas, per Eccleſiam (cui nunquam benè ſunt precati, imprecari nunquam fortè deſituri) graſſari cum tripudio vident gaudentque. Sed tàm facilè eſſet horum gaudia convertere in diverſum, quàm eſt facilè eorum, qui à verâ ſanctimoniâ in fucatæ pietatis ſuperſtitionem, incautum rectæque mentis expers vulgus trahunt, occurrere machinationibus, ſi occurrentes erigerentur juvarenturque per tales, qui ἑαυτὸν κακὸν ἀμφαγαπῶντες, ampla quidem ſed inani emendationis meliorisque frugis ſpe capti, illis ſine quorum ruina extingui vix poterit incendium, fulcra ſubducere cunctantur. Maſculè extinxerunt facturas incendium candentes prunas, Sereniſſimi Principes noſtri purioris doctrinæ cuſtodes, orthodoxiæ protectores inclyti. Nimirum ſurgente ejusmodi motu inteſtino, principiis obſtandum, optimè quidem norunt, nec tamen præcipitarunt Decreta, ſed non niſi conſulta conſilio, illa ſunt executi. Quàm primùm igitur Fauni Sylveſtres ad Her-

 ciniam,

ciniam, fanatico carmine vaticinari inceperunt, maturè obſtructæ his ſunt tibiæ. Quia verò majori periculo ſeveriori occurrendum remedio, ingeſtis in ipſam metropolin pſeudo Pietiſticis ſacris, nodoſa dogmata, penetrante fuerunt conterenda fulmine. Salutare nempè Sereniſſimarum Celſitudinum Edictum, fulminis inſtar, uno valido ictu, ſubito contrivit omnem pietiſticam, tunc ſe exſerentem & in nervum, ni reciſus eſſet cito, erupturam vanitatem. Obſtupuere hoc fulmine tacti, & vox faucibus hæſit. Sed quid non mortalia pectra cogit oculos mentemque excœcans ſuperſtitio? Nempè æquiſſimo Edicto conformiter ſeſe gere atque ineptiarum deſiere juſſi, pertinaciter obluctari quum non deſierint, in pace ſunt dimiſſi, purgatumq; patriæ ſolum ab iſtac heterodoxias labe. Turbones verò iſtos, ſi in rei benè geſtæ agnitionem, orthodoxias nos ornaremus elogio, æquè violaremus Principale Edictum, ac violarunt ipſi. Omnipotens DEUS, cujus doctrinæ ſinceritatis cauſa eſt acta atque agetur deinceps, providam iſtam & ſalutarem Patriæ Patrum curam, omnigenæ temporalis felicitatis munere, atque æternæ gloriæ coronâ, remunerabitur.

Superſunt Millenarii, qui ante ſeculum & quod excurrit, Monaſterii Weſtphalorum, tragica dederunt ſpectacula. Sed recidivam paſſi ſunt illi qui funebribus næniis ſepultum

pultum

pultum dogma refodierunt & ſupra tumbam levatum, de novo ſuſpenſum iverunt paxillo. Ad quam verò illi ſint reducendi matricem, è quâ flos illa excreverit flore? dictu tantò eſt difficilius, quantò Dogma iſtud, in plures verſicolores verſum eſt formas. Etenim priſtina ejus facies, quàm hodiernæ ſit diſpar, immanè quantum diſcrepet à modernâ, non ignorant alii, quàm rerum quæ in Eccleſia ſunt geſtæ & geruntur, expertes & ignari. Antiquitatis quidem aliqua Chiliaſmus gaudet prærogativa & privilegio, quippè qui ipſius Chriſti incarnati natalem anticipavit. Nempè è Judæorum prodierunt Synagogâ, qui primi ſuavè illud ſomniarunt ſomnium. Non diſplicuit Regimen & Regnum promittens Dogma, aliquibus cùm Hæreticis tùm Catholicis. Etenim è Judæorum favis Chiliasmum ſuxit Judaizans Hæreſiarcha Cerinthus, rugoſoq; incruſtatū cortice, in Eccleſiam intruſit. Mox ille in venerabile Patrum Collegium tàm profundè ſe inſinuavit, ut eruperit in errorem ſaltem non catholicum. Aliter quamvis de eo ſentientibus Orthodoxis, aliter Hæreticis: hi videlicet enormibus & vitioſis voluptatibus, illi verò decentibus & moderatis, nec tàm ad corpus quàm animum ſpectantibus, mille annos impendendos docuerunt.

Atque ita olim res fuerut comparatæ. Recentiora & hæc ipſa, in quæ nos DEUS ſervavit tempora quod

 attinet,

attinet,ut nihil dicam de Hæreticis,Sociniani quales ſunt, Arminiani atque alii ejusdem furfuris plures, hoc ſaltem reticere nequeo, nullam eſſe Chriſtianorum circa Religionem diſſidentium partem, quæ de purgatâ Chiliasmi labe, Eccleſiæ ſuæ gratulari audeat. Omnes tamen iſti & ſinguli Chiliasmo impediti, non æqualiter aguntur in profundum; ſiquidem merſis aliis,alii in aquarum natant ſuperficie. In horum favorem dici fortè poteſt, quod *Alſtedio* adblanditus dixit *Samuel Mareſius*: nempè *videri*, quod *vir ille egregius*, *hunc errorem omnium doctiſſimè erraverit*. Hem leniter mordente ſale ad ſperſam erroris exprobationem. Sed Doctorum, quamvis magni & celebres illi fuerint, peccata, Eccleſiæ non ſunt tribuenda, nec in hanc illorum debet inclinari culpa. Quandoquidem igitur paſſim oberrant, quorum dentes Regimen pruriunt, ideò Chiliasmus non in certam aliquam Eccleſiam debet devolvi, atque illi, tanquam Dogma huic proprium & alibi exulans, appropriari. Quantumvis enim hanc numero plures, aliam pauciores divexent mille annorum Reguli: qvamvis nullibi fortè majori cum applauſu populum regant quàm in Belgio, non tamen iſtic ſubſiſtunt, ſed per maria per terras feruntur Utopiæ anhelantes Regnum. In *Fanaticorum* autem *Sectam*, Chiliasmus univerſim quum ſit receptus, & apud illos civitate donatus, dixerit

rit quod res eſt, qui fanaticos ſine diſcrimine omnes, Millenarios eſſe dixerit; quamvis omnes Millenarios fanaticos eſſe, non ſine quorundam injuriâ, ſit dicturus. Horum enim aliqui, de reliquo eruditi atque ab omni aliâ vanitate ſatis procul poſſunt eſſe remoti. Non autem eſt, quod de antiquis laboremus, ſiquidem illi qui præſens atque hoc anticipans ſeculum exercuerunt & exercent, plus ſatis faceſſunt negotii. Hi Dogma antiquum novo atque adeò multiplici varioque incruſtarunt cortice, ut aliam atque aliam indeptum ſit faciem. Horum aliqui *Subtilem* amplectuntur Chiliaſmum. Reliquum igitur, ſi hic ſubuilis, *Craſſum*, ſi hic *Subtiliſſimus*, reliquum *Craſſiſſimum*, rudem & crudum eſſe oportet. De hoc egimus alibi. Illum profitentes, *Meliora* expectant & præſtolantur *Tempora*. Talia verò optanda potius quàm ſperanda equidem credo. Qui enim ſperemus meliora, qvum præterita ruminates, nequicquam conſpiciamus eximii, omni ex oculis evaneſcente mutatione in melius. Præſentia intuiti, olim irrumpentes tunc toleratus, nunc ſentimus reverti, priores ſuperantes potiùs quàm adæquantes calamitates. Dicite Quirites, ac meliora tempora mereantur illi, qui & ipſi in deterrius magis mutantur quàm in melius? Quâ verò fiduciâ ſperemus illa quæ non meremur? Dat quidem DEUS præter omne noſtrum meritum vitam æternam, ſi im-

ſi impleverimus conditiones ſub quibus promiſſit, & promittens ſemetipſum ad dandum obligavit. Sed ad largiendum temporalem felicitatem immorigeris & refractariis, nullibi ſeſe obligavit. Quâ igitur fiduciâ (iterum dico) ſperemus talem, qualem, quàm diu tales ſumus & eſſe non deſinimus, non meremur felicitatem?

Equidem multum ultra ſeculi dimidium, per DEI gratiam fui & ſum ſuperſtites. In lucem prodii eopſe anno, quo moneta corrupta, integritati eſt reſtituta. Sit illa nulla non mutio in melius, non tamen cum moneta etiam mores, non vita mutata eſt in melius. Neque iſta monetæ emendatio conſtans fuit & perennis, ſed iterum degeneravit in ſequius. Neque rerum in commercium venientium, ſed totius vitæ gubernaculi rectificatio, meliora reſtaurat & perficit tempora, non eventura prius, quàm inveterata malitia impietasque cum pietate & ſanctimonia vitæ fuerit commutata. Impigri itaque gradu ſuccedente morum ἀταξία, ecquid mirum ſucceſiſſe tempora malignis moribus proportionata?

Expectavi equidem ſeptuaginta ultra annos, de die in diem, de anno in annum, de luſtro in luſtrum, meliora tempora: aſt ſpes me lactavit inanis. Ita enim cuncta ruunt in peius, ut tàm de publicâ quàm Eccle-

ſiaſticâ

ſiaſticâ re, videatur conclamatum, ni DEUS præter omne noſtrum meritum, ex merâ miſericordiâ ſuccurrat opemque ferat. Peccatorum agnitionem & pœnitentiam operantis Divini Spiritus gratiæ, quàm primum obdurata mortalium corda pertinaciter reſiſtere deſierint, reditum eſt

Luſtris labantibus ætas,

quæ emendet mores, tempora emendet. Qui igitur meliorum temporum expectatione tenentur, hoc prius agant, ut hactenus emendari neſcii, emendent mores, vitamque agant homine Chriſtiano dignam, & meliora reditura eſſe tempora, ſponſor ſum & obſes.

Momentum Chiliaſticæ controverſiæ quod attinet, citra ullum exquiſitius penſantium præjudicium, illam inter complures alias redigendam exiſtimaverim, quæ fidei fundamentum non è proximo, ſed aliquanto remotius, Reſurrectionis cum primis univerſalitatem, attingunt. Inter quæſtiones, inquam, curioſas magis quàm neceſſarias; de quibus, eò quod ab illarum deciſione Deus ſalutem ſuſpenſam quum noluerit, ſalvâ manente Chriſtianâ caritate, in utramque partem, citra aliter atque aliter ſentientium condemnationem, placidè procul omni acerbitate, diſputari queat. Eâ tamen lege, ut diſputatio inter eruditos & robuſtiores ſubſiſtat, cautâ ſubinde propalatione ad infirmos, quorum fidei,

oſtenſam ſcandalumque excludens integritas, dubiæque conſcientiæ jugum averſans ſimplicitas, ſacroſancta ejusdemq; conſervatio, ſuprema Eccleſiaſticæ lex eſſe debet prudentiæ,

Alia interim eſt quæſtio, ſitne ex decoro & de authorati Auguſtanæ Confeſſionis membri dignitate, ut iſtius Articulo XVII damnatum Chiliasmum, reſuſſitet, eundemque ſub ſpecioſiori licet purpuriſſo, vel in popularem concionem vocet, vel laudibus cumulatum, adſumto Theutonico calamo, plebis in oculos, aures, animumque ingerat? Sitne talis præcipitantia Eccleſiaſticæ prudentiæ congrua an diſconveniens, excutiant alii; ſitne ſententia negans affirmanti anteferenda, dijudicent me ſagaciores: dijudicet Eccleſia Proteſtantium univerſa, cui publicè geſtorum rationes poſcendi jus competit & poteſtas. Interea dum hæc judicatura eſt judicium inclytum, meum, præcipitantiam averſans, lubens quidem ſuſpendo, nec tamen diſputandi libertatem interdicendam opinor, cumprimis ſi diſputatio intra illius fori arctetur limites, ad quod altioris indaginis quæſtionum pertinet excuſſio; cautâ ſubindè divulgatione ad tales, quorum ingenii tarditas, ſupra connatam imbecillitatem, haud quaquam usque adeò in ſublimè levari eſt apta, ut abſtruſiſſimarum Prophetiarum ſuperet arcana, quibus aſſequendis, ſagacisſimi quique

Inter

Interpretes ſuccubuere. Fieri enim aliter vix poteſt, imò certo certius eſt eventurum, ut in illis quæ ſuperant captum, offendantur magis quàm ædificentur illi, à quibus limatum & politum judicium exigere haud licet. Eâ igitur conditione poſitis, ut pleno ſapere nequeant pectore, talium ignorantiam plus profuturam dixerim, quàm mutilam mancamque, non niſi oblivione emendabliem notitiam eorum, è quibus malè digeſtis, malè concoctis, ſtomachi naſcantur torſiones, vel in plenam abituræ nauſeam, vel redditturæ quod torquet.

Certè non ſum ego ejus quæ cum lacte materno harum ditionum incolis inſtillata, quotidiano uſu & exercitatione excolitur linguæ contemtor oſorve, Latinam tamen, utpote non modò non inopem, ſed locupletiorem etiam quàm eſt Germana, ad controverſias tractandas eſſe aptiorem, haud facilè quisquam negaverit. Quâ propter illorum haud probare audeo ſtudium & induſtriam, qui denſarum nebularum plena Dogmata, vernaculâ, difficultates non minuente ſed adaugente tractant linguâ; quibus ſolvendis nodis, ſi ſolam eruditis familiarem adhiberent, felicius eſſent progreſſuri; offenſuri pauciores; locuturi aper-

tiùs

tius, ſi diſciplinarum terminos in nativa relinquant ſignificatione, qui in idioma transformati Theutonicum, amittunt emphaſin, atque ſenſum gignunt quandoque obſcurum, quandoque corruptum.

Equidem quoties de millenario Regno vulgaris linguæ ſermone ſermocinari audio, claſſicum canentes audire, ſigna atque vexilla tollentes videre mihi videor, quæ erecta ſequantur ad capeſcendum & occupandum terræ Sanctæ Regnum, ſtant in procinctu. Præſtaret tales peregrinâ, Saracenis potiùs aut Æthiopibus quàm Germanis uſitatâ lingnâ loqui, ne alios quàm Chriſti expertes, è cœlo in terram trahant, Regnum cœleſte & æternum, in Monarchiam mutent terrenam & temporalem. De iſtâ occupandâ & per mille annorum tractum poſſidendâ & retinenda Monarchiâ pectus aureſque mulcentes, ſimul ac dulcem inducentes ſoporem ſuſurri, ſic quum fallant ac decipiant, ſicut Sirenum in naufragium pellicentes cantilenæ, fallunt decipiuntq; nautas, dediſcant Theutonici cantores, garrulos de Utopiæ Regno canere verſus. Etenim qui non admodùm ſobriè de incerto futurorum eventu

philoſo-

philoſophantur, alios in potiorem terrenæ & temporalis, cœleſtem & æternam anticipaturæ felicitatis ſpem inducunt, aliis cœleſtis & æternæ tædium moræ creant, Ecquid enim faciliùs quàm ut pectora eorum, qui terra ſunt & pulvis atq; in terram revertentur, nil niſi terrenum ſapiunt, majus occupet terreni & temporalis quàm cœleſtis & æterni Regni deſiderium? Qui ſapiunt & os ſublime oculosque non deorſum tortos atque in terrena defixos, ſed ſurſum in cœlum elatos gerunt, indignè ſunt laturi, quod cœleſtis Regni, certis & evidentibus Scripturæ fundati promiſſionibus, occupandam hæreditatem, terreni, non niſi obſcuris intricati Prophetiis, poſſeſſio, ultra mille annorum ſpacium ſit remoratura.

Et quàm eſt in proclivi, ut populare, à Principum & Regum thronis in ſubditorum ſubſellia devolvendum Regimen, Regiminis (quod ſubditis nunquam ſatis poteſt eſſe benignum) tædium dictet, atq; in præſentem Reipublicæ Statum, quem unumquemq; bonum civem amere decet, infeſtum concitet odium? Quàm ſæpè fuerint in rebellionem ruentes Chiliaſtæ, ſeditioſi, ma-

gis in vulgus eſt notum quàm ut ejus aliquid memorare huic conveniat Orationi. Ecquis enim rerum, patrum avorumve noſtrorum memoriâ geſtarum, ſic eſt ignarus, ut nihil de bello ruſtico, nihil de Monaſterienſium rebellione innotuerit? Et cui non ſunt audita utriusq; *Thomæ & Munzeri & Schuteri*, *Svvenckfeldii*, *Coppingi*, *Quintini Sartoris*, *Weberi* pollionis Wurtenbergici, *Pfeifferi* pluriumq; ejusdem monetæ, æternis tenebris digna nomina? Quantas, nomina illa gerentes, excitaverint ſeditiones, quot rebellionum fuerint auctores, quàm copioſus, per hos dementatorum fuſus ſit ſanguis, quàm tragica horum aliqui dederint ſpectacula, mediocriter ſaltem curioſus ignorare non poteſt. Quia tamen iis quæ ante ſeculum evenerunt paria, hoc noſtro evenire poſſunt ſeculo: Et quæ tunc ferro acta eſt cruenta Tragœdia, eadem excitari poteſt iterum, ſi nihilo melius res gerant Prædicatores hodierni, quàm ante ſeculum geſſerunt, populum promiſcuamque plebem, ad nefanda capeſcenda arma extimulantes Chiliaſtæ. Apud quos igitur aliquid reliquum eſt prudentiæ Theologiæ, in exacta retroſpicientes ſecula, tragicorum exemplorum contemplatione territi, cavebunt ne in eundem impingant lapidem, in quem graviter ſunt illiſi illi, qui fax & tuba ſeditionum & bella moventium fuerunt

Chiliaſta·

Chiliaſtarum. Cavebunt, ne Germanâ omnium auribus accommodata oratione, in auditorum mentes talia ingerant Chiliaſtica principia, quibus præter dictantium intentionem abuſi alii ſumma vertant imis. Ad ſupremi autem Magiſtratus officium pertinet, obicem temerariis ponere auſibus. Hujus eſt, Dogmatis nec cognitu neceſſarii, nec aliquid promittentis commodi, multum minantis incommodi, multum periculi, divulgationem interdicere, Typographiarumq; inhibere abuſum. Sed quum in vitium vitio arctemur alieno, factum eſt, ut vernaculâ dicacitate provocatis, viris egregiis & eruditis impoſita ſit neceſſitas, illud aſſumendi idioma quod adhibuit pars adverſa, quantumvis tractandis ejusmodi controverſiis neque ſit aptum neque conveniens.

Veruntamen vix quicquam tàm ineptè dicitur, vix àliquid in ſocietat humanâ tàm geritur inconvenienter, in quo vel laudando vel minimùm excuſando, non occupetur procax hominum indoles. Proinde ſpinoſas & intricatas fidei doctrinam attinentes quæſtiones, in vulgarem gentis noſtræ linguam qui ingerunt, apertæ ſatisque conſpicuæ imprudentiæ, haud aſpernandam prætendiſſe viſuri ſibi ſunt prudentiam, ſi dixerint, cautum ſeſe ire ne apud exteras nationes, *propria prodatur turpitudo.* Iſtam verò palàm prodere illos, qui in Germania turpiter concitatas, nil niſi ſcandalum dantes

calidas

calidas rixas, eruditis uſitato & familiari ſermone, incunctarum gentium ingerunt aures, Germanæque nationis turpitudinem in univerſum cultioem propalant orbem. Iſta verò ſcandala cautum ire, atq; auribus illorum, quos ſolers Germani oris volubilitas offendere nequit, parcere Oratores illos Theutonicos iniq; reprehenſos, ſiquidem horum] vaniloquis ſcriptis, ſoli offendantur indigenæ, de quibus datum his ſcandalum, nec in vicinas nec remotiores, Germani ſermonis imperitas devolvatur nationes. Quaſi verò quod in ſe eſt inſipidum, non ubiq; gentium malè ſapiat, Germanisve ignavus ſtupeat palatus. Itane à Nationibus exoticâ linguâ de laxatæ Religionis Sacris loquentibus, arcenda ſunt ſcandala, ut in ſolis reſideant Germanis?

Cæterùm quum haud facilè quisquam indeliberatè ad exequenda negotio feſtinet, qui primi tralatitias merces vernaculo; veſtitas ſermone, venum expoſuerunt, iſthoc videntur feciſſe conſilio, ut applauſum, quem apud cordatos multaque eruditione ſubactos, inventuros ſe eſſe deſperarent, in credulâ ad ſuperſtitionem pronâ hominum multitudine, obtinerent. Hujus ſcilicet deſideriis explendiis, aptus natus eſt Chiliasmus, promittens Regnum terenum illis, qui ſub aliorum regimine ſatis diu ſe ſudaſſe arbitrantur. De illorum igitur, qui legitimum Imperium poſſident, corio quum ludant Chilieſtæ,

liaſtæ, dum hos de antiquâ poſſeſſione, (in Regimen avitum ſurrogatis minorum gentium Diis) deturbatum iri ſperant, & ut quantotius deturbentur exoptant, eo dirigat Majeſtas conſilia, ut impia & nefaria vota, in herba quantotius ſuffocentur. Non autem juvare poteſt Chiliasmum prædicantes, interpoſita horum de non intento pernicioſo innocui Chiliasmi eventu, proteſtatio. Sit ita, non intenderint hi, ſubditorum à legitimo Magiſtratu averſionem: non cupiant feralia videre vota: non exoptent conceptæ barbaræ ſpei conſummationem: interim tamen præter horum intentionem evenire poteſt, quod hi non intenderunt unquam. Et quamvis omne indirectum ſit præter intentionem, caveant tamen ſibi, ne ſeditionem indirectè intendiſſe audiant illi, qui Prophetias torquent, è quibus ſugeſtis, aliqua extorqueat indomitum vulgus, quæ in Regiminis avara vertat vota.

Hodie igitur iterum quum increbeſcat & extremo quorundam conatu annuncietur Chiliasmus illis, qui talia quæ malè aſſequntur peius applicantes, in propiam vertunt pernitiem, atque in illud ruunt ſacrilegium, ut impiè imprecentur illis pro quorum incolumitate, felici, conſtate & perenni Regimine, Divinam providentiam iteratâ devotâ ſupplicatione, exorare debebant: quum res iſta, inquam, tot ſecum trahat inconvenientia, cau-

F tione

tione opus eſt, ne eundo acquirat robur, ſed ut præconibus iſtis cito os obturatur, non foveantur, non tolerentur, non indulgeatur divulgatio ſcriptorum, quæ nihil ad ædificationem faciens promittunt, abundanter ſuggerunt, quibus turbentur mentes, plebs ad conandum periculoſa, ad devovenda vovendum, tacitis ſaltem ſi non apertis votis, exiſtimuletur. Non meo indigent conſilio Sceptra gerentes, Regibusq; & Principibus aſſidentes, atq; Reipublicæ clavum dirigentes Viri Illuſtres, quippe qui prudenter, me quamvis tacente, ſunt proſpecturi, ne nocitura invaleſcant, ſed profligantur cantes profutura promoveantur, atque adjutricem applicito, manum, protegantur clementer.

Cæterùm ipſum illud Regnum in quo infimi ſortis homines, omni ſublimi Majeſtate redacta in ſervitutem, imperium ſunt poſſeſſuri, intra anguſtum aliquem mundi angulum arctare, illorum prohibent fundamenta, qui univerſalem temporum prædicant metamorphoſin. Hæc ſi futura eſt univerſalis, ignobile plebeorum Regnum per omnia graſſabitur Regna, ab orbis principio ad ultimam usque Thulem, donec occupaverit univerſum. Iſta univerſalis, definito tempore & ſtatâ horâ obventura infelicium ſeculorum cum feliciſſimis alternatio, eſt magnum illud arcanum quod non capit homo carnalis, ſolis manifeſtatum illuminatis

tis. Conceptam verò amplam ſpem, quamvis his non invideamus, non tamen debent ſpecialium Regnorum proſpera fata,trahi in exemplum,atque revolutio tem porum meliorum, à ſpeciali & individuo aliquo Regno, in orbem devolvi univerſum. Non quocumque ſub axe ſitas regiones, æquè felici incedere paſſu, ad cœleſtis veritatis agnitionem has veniſſe citius illas tardius, loquitur expetientia & lentè ſuccedens Idololatrici cultus cum Divino docet commutatio. Nos certè ipſi omnium mortalium obliviosiſſimi ingratiſſimique haberemur, niſi in gratiarum deſinamus actionem, DEIque Opt. Max. Providentiam devotâ mente recolamus, hilari lætaque voce celebremus. Providentiam, inquam, Divinam, per quam harum incolæ terrarum, moribus feris & barbaris olim deturpati, & quod barbariæ deterius eſt, Idolis dediti, ad humanitatem ſunt redacti, & in clarisſimâ Evangelii luce hodie ambulant. Nolumus nunc iſta à nobis remotiora Secula, cum præſenti quod incolimus contendere, ne noſtram felicitatem ex infelicitate majorum metiri, neve illos, quorum miſereri æquum fuerit, eludere & inſultare videamur. Ne tamen Divina beneficia ſilentio ſepeliiſſe audiamus, unum ſaltem (quod

in hac præſertim Panægyri quâ JULIÆ noſtræ celebratur Natalis, prædicari meretur) deducam in conſpectum. Nempè domicilii hujus noſtri, quod è villâ excrevit in urbem, primordia ſi ſpectemus, notabilis oculis ſe ingerit mutatio in melius: ita quidem, ut oppidum quod proavorum memoriâ, non niſi Martem ſpiraret, & ob truculentam indigenarum è predâ & rapto viventium indolem, in proverbium, terrorem iter facientibus incutiens, abiiſſet, nunc Muſis & gratum & ſecundum hoſpitium præbeat, in cujus meditullio reſidens Illuſtris JULIA, celeberrimâ nominis ſui famâ, Europam impleat univerſam.

Eſt certè ACADEMIA bonum, quo aliud optabilius dare & largiri poteſt nemo: quicquid ogganniant huju oſores & hoſtes Pietiſtæ. Eſt tale bonum, quo utuntur cives, fruuntur peregrini, gaudent exteræ & quàm longisſimè diſſitæ nationes. In Academia enim quaſi elaborantur & perficiuntur & perfecti inde prodeunt, qui Dei Eccleſiam, quam ipſe ſibi ſuo ſanguine acquiſivit, regant: qui populo viam ad ſalutem muniant, ſanctisque moribus & ſolidâ eruditione, hoſtibus veritatis ſint terrori: qui Regibus aſſidentes clavum Reipublicæ torqueant, quod ex uſu Regnorum ſit proſpiciant, foro moderentur, juſtitiæque & æquitatis curam gerant: qui ſanitatem mortalium tueatur: qui naturæ

arcana

arcana rimentur, cùm ſibimetipſis tùm aliis, animi quietem & adfectuum tranquillitatem procurent. Omnes illi eam quâ pollent, ſive ſapientiam ſive prudentiam Academiis acceptam fere tenentur; & niſi invidi & ingrati ſint, acceptam ferunt. Ita verò Academia fontes ſuos derivat foràs, ut ipſa maneat eorum domina, & nihilo minus aquis ſaluberrimis domi abundet. Eſt enim emporium ſcientiæ & metropolis doctrinarum, unde qui opis & conſilii ægent, ſibi petunt & tanquam ad ſacram anchoram confugiunt; certò perſuaſi, nihil tàm intricatum aut impeditum eſſe, quod ibi expediri nequeat, ubi ſit theſaurus & penu omnigenæ eruditionis. Et certè qui alibi vivunt, variis plerumque curis diſtinentur, ut multis ad ſtudia ſua, quæ olim fortè tractarunt, reſpicere vix liceat: at qui in Academiis ſtudioſæ juventuti abſtruſiſſima quæque, in quibusvis diſciplinis exponunt, & toti in ſolas has curas incumbunt, adſiduoque uſu & familiaritate doctiſſimorum virorum quotidie exercentur, non poſſunt non tandem illi principatum in literariâ Republicâ acquirere, & acquiſitum, etſi non dictatoriâ auctoritate, eâ tamen

cujus ad rem ipſam demonſtrandam uſus & opus fuerit, tueri.

Iſta verò quæ memoravimus cuncta, illorumque ne minimo quidem excepto, in almam JULIAM ex aſſe quadrant: in Academiam cui plus debemus quàm lingua poteſt effari: in Academiam quæ Divi JULII Patris felicibus auſpiciis & piâ munificentiâ eſt conditâ: Divi HENRICI JULII Filii heróâ magnanimitate, celsâ, in quâ hæc celebramus ſacra, Palladis turrigerâ arce, Juleo novo, ornata, aucta, locupletata: Divi FRIDERICI ULRICI Nepotis, ſollicitâ clementiâ non tantùm conſervata, ſed trium Cœnobiorum Calenbergici Ducatus, donatione ditata.

Fuit nobis Seren^mus^ Princeps ultimum germen à Ramo HENRICI quem inter & BERNHARDUM fratrem, ante duo cum dimio ſecula, Ducatus provinciæ fuerunt diviſæ. Ramus iſte unus ubi exaruit, è radice, nunquam ſatis prædicando DEI beneficio vivâ, alter à parte Bernhardi Ramus copioſo germine frondens, fructus tulit lætos uberesque. Numero plures tunc ſuperſtites Ser^mi^ Principes

hære-

hæreditatem ubi adiiſſent, diviſaque inter Eos eſſent terrarum Dominia, Horum quisque jus in Academiam ſibi voluit eſſe integrum, Cedit verò immarceſſibili Brunſvico Luneburgicarum Athenarum honori, quod tot Serenmorum Principum ſinguli, glorioſum ſibi duxerunt, Academiæ eſſe Patronum, Cedit in Illuſtris JULIÆ illuſtre decus, inter tot Celſiſſimos Principes, de herciſcunda ampliſſimorum Ducatuum hæreditate prius, quàm de Academiæ retinenda poſſeſſione, conveniſſe. Cedit in eburneum fulcrum, non in unius Principis, ſed plurium potentiâ pollentium tutela eſſe & præſidio: ſecuriorem JULIÆ præſtat ſecuritatem, uno antea tectam clypeo, pluribus deinceps æratis validè protegi clypeis. His micantibus tecta JULIA, pelligerosque Heroes Altisſimi alarum tegente umbrâ, non potuit illa non ſic validè protecta, in eam eniti gloriam, cujus conſtantiæ florentique fortunæ ſit inviſum, invidentibus illis, qui ſcommatibus eam lacerant.

Tu verò ô DEUS omnipotens, univerſi moderator & arbiter, in cujus manu ſumus nos & fortunæ noſtræ, ſecundum inexhauſtam Tuam benignitatem & miſericordiam præſta, ut Sereniſſimi Principes, Academiæ

miæ JULIÆ Directores hodie Magnificentiſſimi, omnesque & ſinguli inclutæ Brunſvico Luneburgicæ Domus Heroes, Nutricii & Domini noſtri clementiſſimi, vivaci ſenectute virentes, figeant, frondeant, floreantq; : Præſta propitius, ut Natalitia hæc feſtivitas celebrari non deſinat prius, quàm ætherii lumina ſolis oriri & occidere deſierint: Præſta propitius, ut illa ſub REMIGIO ALTISSIMI, ſub Potentiſſimorum tutela Principum vigeat, floreat, frondeat

Lucida dum current annoſi ſidera mundi.

DIXI.